



Missa expleta, secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes*, et P. D. Octavius Antonius Beras, arch. S. Dominici, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Card. Antonius Caggiano, arch. Bonaërensis, precem *Adsumus...* recitavit, et secretarius generalis, proclamato primi praesidis nomine, communicavit Summum Pontificem statuisse primam Concilii periodum finem habere die 8 decembris; alteram vero haberi a die 12 maii proximi usque ad diem 29 iunii.

Deinde ad loquendum de capp. V-VIII ex ordine vocati sunt: cardd. Iacobus de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, Mauritius Feltin, arch. Parisiensis, Laureanus Rugambwa, ep. Bukobäensis; Conradus Bafle, arch. tit. Antiochenus in Pisidia, Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis, Ioseph Marling, ep. Civitatis Jeffersoniensis, Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis, Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis, Ioseph Khoury, arch. Tyrensis Maronitarum, Victor Reed, ep. Oklahomensis et Tulsensis, Cyrillus Zohrabian, ep. tit. Acilisenus, Antonius Jannucci, ep. Pinnensis-Piscariensis, Russell McViney, ep. Providentiensis, Laurentius Bereciartua Balerdi, ep. Seguntinus-Guadalajarensis, Simon Hoa Nguyen-van Hien, ep. Dalatensis, Leonardus Raymond, ep. Allahabadensis, Marius Castellano, arch. Senensis, Petrus Ngô-dinh-Thuc, arch. Hucensis, Emmanuel Larrain Errázuriz, ep. Talcensis, Primus Gasbarri, ep. tit. Thennesiensis, aux. Veliternus, Paulus Gouyon, ep. Baionensis.

Iuri loquendi renuntiarunt Aemilius Guano, ep. Liburnensis, Ioannes Nuer, ep. tit. Phatanensis, aux. Thebanus, Iacobus Flores, ep. Barbastrensis.

Hora 12,20 reposito S. Evangelii codice, praeses preces *Angelus... Agimus...* recitavit. Secretarius generalis intimavit proximam congregationem generalem, die 13 novembris habendam, et Patres dimissi sunt.

XVIII

Congregatio generalis decima octava habita est die 13 novembris, feria III, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.209 Patres, nempe 71 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 396 archiepiscopi, 1.620 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 86 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto, ritu romano, a P. D. Emmanuele Serrano Abad, arch. Conchensi in Aequatore, celebrata est. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Aurora lumen provehit* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *Ecce panis angelorum* (Bartolucci).



Post Missam secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes*, et P. D. Antonius Corso, ep. tit. Maglaenensis, aux. Montisvidei, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres et chorus cantant *Christus vincit* cum Ps. 116.

Card. Bernardus Ioannes Alfrink, arch. Ultraiectensis, precem *Adsumus...* recitavit, et secretarius generalis, proclamato nomine primi praesidis, Patres rogavit suas orationes coercere ad emendationes proponendas, et, una cum petitione loquendi, dicendorum summam necnon sermonis textum scripto exhibere.

Dein continuata est disceptatio circa capp. V-VIII *de sacra Liturgia* et ex ordine ad loquendum vocati sunt: Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis, Aloisius Alonso Muñoyerro, arch. tit. Sionensis, vic. castrensis in Hispania, Antonius Fustella, ep. Tudertinus, Caesarius D'Amato, ep. tit. Sebastenus in Cilicia, abb. nullius S. Pauli in Urbe, Aloisius Almarcha Hernández, ep. Legionensis, Petrus Zilianti, abb. nullius Montis Oliveti Maioris, Ioseph Soetemans, abb. gen. Congregationis SS. Salvatoris Lateranensis.

Hora 10,25 praeses disceptationem interruptit et facultatem loquendi tribuit card. Hamleto Ioanni Cicognani, a publicis Ecclesiae negotiis, qui nuntiavit Summum Pontificem, votis Patrum benigne annuentem, statuisse ut in Missae Canonem nomen S. Ioseph insereretur. Fere omnes Patres plauserunt.

Dein continuata est disceptatio et ex ordine locuti sunt Henricus Golland Trindade, arch. Botucatuensis, Casimirus Kowalski, ep. Culmensis, Paulus Yoshigoro Taguchi, ep. Osakensis, Franciscus Jop, ep. tit. Dauliensis, Petrus van Lierde, ep. tit. Porphyriensis, sacrista et vicarius generalis Summi Pontificis pro Civitate Vaticana, Vilelmus Kempf, ep. Limburgensis, Andreas Sapelak, ep. tit. Sebastopolitanus in Thracia, vis. ap. Ucrainorum in Argentina, Paulus Seitz, ep. Kontumensis, Hermannus Volk, ep. Moguntinus, Edmundus Nowicki, ep. tit. Thuggensis, coad. Gedanensis, Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifacii, Ioseph Cheng Tien-Siang, ep. Kaohsiungensis, Michaël Miranda y Gómez, arch. Mexicanus, Ioseph López Ortiz, ep. Tudensis-Vicensis, Ioannes Pohlschneider, ep. Aquisgranensis.

Hora 12,10 praeses coetui suffragationem proposuit de fine imponendo disceptationi schematis *de sacra Liturgia*. Cum fere omnes Patres, surgendo, consensissent propositioni, praeses annuntiavit proxima die incipiendam esse disceptationem schematis *de fontibus revelationis*.

Postea secretarius generalis, ex ambone, monuit omnes Patres ad Consistorium, feria V in Basilica S. Petri habendum, invitari.



Hora 12,15 S. Evangelii codice reposito, praeses preces *Angelus... Agimus...* recitavit et secretarius generalis intimavit proximam congregationem generalem die 14 novembris habendam.

XIX

Congregatio generalis decima nona habita est die 14 novembris, feria IV, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2215 Patres, nempe 69 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 405 archiepiscopi, 1618 episcopi, 10 abbates nullius, 11 praelati nullius, 87 superiores generales.

Missae votiva S. Ioseph celebrata est ritu romano a P. D. Paulo Cheng, ep. tit. Ucculensi, aux. Taipchensi. Chorus Monachorum O.S.B. Collegii S. Anselmi in Urbe, cecinit cantus gregorianos.

Post Missam secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes*, et P. D. Petrus Leclerc, arch. Seguenensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres *Credo* cantant.

Card. Eugenius Tisserant, primus e consilio praesidentiae, precem *Adsumus...* recitavit et secretarius generalis, proclamato nomine praesidis congregationis, nuntiavit initium disceptationis circa schema constitutionis dogmaticae *de fontibus revelationis*, atque legit nomina eorum, qui loqui postulaverant.

Exposito suffragandi modo, enuntiavit propositionem super schema *de sacra Liturgia*. Eiusdem propositionis lectae sunt a subsecretariis translationes in linguas vernaculas (hispanicam, anglicam, gallicam, germanicam et arabicam).

Praeses Patres admonuit subsignationem in schedulis non esse necessariam, quia nomen iam erat in fronte schedulae, et facultatem loquendi tribuit card. Alfredo Ottaviani, praesidi commissionis de doctrina fidei et morum, ut circa schema constitutionis *de fontibus revelationis* referret.

Card. Ottaviani quaedam tantum relationi praemisit, quam ex ambone legendam rev. Salvatori Garofalo, perito commissionis de doctrina fidei et morum, tradidit.

Relatione expleta, ad loquendum de schemate in genere a praeside vocati sunt: cardd. Achilles Liénart, ep. Insulensis, Ioseph Frings, arch. Coloniensis, Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Ioseph Siri, arch. Ianuensis, Fernandus Quiroga y Palacios, arch. Compostellanus, Paulus Léger, arch. Marianopolitanus, Franciscus König, arch. Vindobonensis, Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis, Leo Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici, Augustinus Bea; B. Maximus IV Saigh, patr. Antiochenus Melchitarum.